



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. De Cephaloniâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Abundat vino, oleo, & omnis generis fructibus. Frumentum antea parcè reddebat, sed huic malo prouisum est à Venetis, qui lacus aliquot exsiccauerunt ex quibus iam frumenti ingens copia percipitur. Aquas etiam habet plurimas nauigationi Venetorum perutiles. Hinc quoque mel, cera, sal, herbæ medicæ efferuntur.

Linguâ vtuntur indigenæ partim Græcâ inquinatissimâ, partim Albanâ: hîc enim plurimi Albani degunt. Fæminæ Phrygias vester eleganter, & peritè elaborant, viri ferè otio torpent.

Armare potest Insula 20. hominum millia, ex quibus tria milia elegere Veneti, quos ad bellicas artes sollicitè erudiunt, ad Insulæ tutelam. 500. stipendiariis pedestribus seruantur arces, 150. equitibus Albanis, seu Stratioris littus defenditur. Regitur à Venetis iam ab anno 1382. quando sese indigenæ spontè Reip. sapientissimæ submiserunt. Administratur autem à duobus nobilibus Venetis; unus dicitur *Bailo* qui adiunctum habet sibi consiliarium Assessorum. Alter *Prouidador*, quasi Prouisor, cui coniunctus est Quæstor. Ex Venetis legibus ius Insulanis redditur. 12. millia Ducatorum vectigal Reip. pensitat, & 200. millia modiorum salis: qui sal conficiunt magnis immunitatibus gaudent, quarum præcipua quodd ab Aprili mense ad Nouembrem in ius vocari non possunt; quia toto hoc tempore sal vel coquitur, vel colligitur.

NVM. 2. De Cephalonia.

CEPHALONIA, vulgò *Cephalogna*, secundùm longitudinem excurrexit ad 80. mil. pass. maxima eius latitudo 50. mil. minima 20. ambitus 160. distat à Zaczyntho, freto interiecto, 12. mil. pass.

Regio est paulò siccior, abundat tamen oleo, frumento, vino, serico, lanâ, melle, cerâ, & mannâ. Incolæ partim Græci, partim Itali, Græcè vel Italicè loquuntur, omnes inquinatè. Diuiditur Insula in 19. partes *Pertinenzas* vocant, in quibus familiarum 6. millia numerantur: 4. millia expeditorum militum armari possunt. Arces hîc duæ satis munitæ, *Cephalogna*, & *Azzo*.

Regitur per Prouidadorem nobilem Venetum, cum Quæstori item nobili quem *Carmelengo* dicunt: vectigal eius Insulæ est 12. millium Ducatorum.